



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.

DECANUS
 COLLEGGII THEOLOGICI
 IN ELECTORALI UNIVERSITATE
 WITTEBERGENSI
 JOHANN: ANDREAS
 QVENSTEDT,

S.S. THEOL. D. PROF. PUBL. ET ELECTORA-
 LIUM ALUMNORUM EPHORUS;

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,
 PATRONOS, PROCERES, FAITORES, ut &
 CIVES ACADEMIÆ AD SOLENNEM RENUN-
 CIATIONEM DUORUM SS. THEOLOGICÆ LICENTIA-
 TORUM DIE IIX. JUN. HORIS LOCISQUE CON-
 SVETIS DIVINA FAVENTE GRATIA
 INSTITUENDAM,

QVA PAR EST COMITATE INVITAT.

WITTEBERGÆ,
 Typis DANIELIS Schmaß/ Acad. Typogr.





N *E* vocemini Rabbi: unus enim est
DOCTOR (Magister) vester, Christus. Nec
vocemini Doctores (Magistri) unus enim vester
est DOCTOR, (Magister) Christus, inquit
Doctor Doctorum, Christus Jesus, *cujus Schola*
in terrâ, & Cathedra in cælo est, (juxta Augustinum
Serm. IV. de Joh. Baptist.) Matth. XXIII. 8. & 10.

Sunt, qui existimant, damnari hic *ipsum titulum* sive *nomen Magistri* aut
Doctoris, in Academiis collatum, ut Andreas Bødenstein Carolstadius,
Archidiaconus quondam Wittebergenfis, quem per $\text{—}^{\text{—}}$ haud præter
rem malum *A.B.C.* dixeris, Phil. Melanthon enim eum ab elementis ini-
tialibus nominis & cognominis notare solitus fuit nomine *Alphabeti*, de
quo refert Megalander Lutherus Tom. III. Jenensi parte I. contra cœlest.
Proph. & in Colloq. Symp. c. XXXVII. quod post secessionem ab Ecclesiâ
Wittebergenfi factam habitu Sacerdotali deposito & rustici vestitu as-
sumpto, rastrum pro calamo, stivam pro libris tenuerit, & ligna in
urbem advexerit, nec amplius Doctor esse vel talis appellari, sed *frater*
aut *vicinus Andreas*, Naber Andres salutari voluerit. Quin imò pauld
ante infelix illud schisma & disfidium inter ipsum & B. Lutherum, cum
in solemnî promotionis actu Johanni Westermanno & Godoschalco
Grapio Doctorum Theologiæ titulos conferret, publicè testatus est, *se*
malè fecisse. quod duos hos promoverit Doctores, seq. in posterum nemini
insignia Doctoralia collaturum, eò quòd promovendo alios in Doctores,
sciens ac prudens faciat contra dictum Christi, Matth. XXIII. 8. 10. Nolite
vocari Rabbi &c. Nec abludit Zwinglius, qui in responsione ad Epist.
Bügenhagii scribit; *se cum fastidio legere illos titulos; Doctor & Professor*
Theologiae. Beza quoque convitiatur Ecclesiæ Doctoribus, cum ait;
Nallâ. eos. re. magis. affici, quàm. cum. salutantur, Domini. Magistri. nostri:
eosq. Pharisais. successisse. Bullingerus etiam quæritur; *Laborari à quibus-*
dam suorum, ut in eorum Ecclesias titulos Doctoratus restituant, referente
Adam. Conzen Com. in Matth. ad h. l. pag. 429. Rud. Gvaltherus Com.
in cap. 21. Joh. f. 407. inquit; *Paulus, quem Christus electum organum*
dixerat,

dixerat, servum J. C. se nominare solet. Confer cum ista modestia illorum insolenti am ac fastum, qui titulos magnificos prece & precio redimunt, ut apud rude vulgus sese venditent & facile videbis, quo Spiritu isti agantur. Sunt hi Judaorum similes, quos graviter accusat Christus, quod Magistri & Doctores dici vellent. Excusant quidem sese publicam & a multis seculis receptam consuetudine, & ipsi inde Ministerio aliquam dignitatem accedere ajunt. At qui nulla consuetudo Christi precepto praedjudicare debet, qui ne quid hujusmodi fiat, graviter monuit, &c. Consentunt hodierni Fanatici, Anabaptistae & Weigeliani, eam ad rem dicto Christi abutentes. Weigelius Dialogo de Christianismo fol. 71. inquit, Ein Doctor bistu/ aber nicht vom heiligen Geist promoviret / sondern von Hohen Schulen/ da nie kein Heiliger gefunden worden ist / nicht von Gott beruffen noch gesandt / sondern von Menschen geordnet / erwehlet und auffgeworffen. Confer B. D. Waltheri Centur. Miscellan. Theolog. num. XVIII. quaest. XII. pag. 254. seq.

Est enim verò si absolutè & simpliciter Magistri aut Doctoris appellationem verbis illis Salvator noster prohibitam vellet, consequens foret, nec Filios Genitores suos Patrum nomine honorare debere, cum eodem modo dicat Christus v. 9. Patrem nolite vocare vobis super terram, unus enim est pater vester, qui in caelis. Nec servi heros suos appellare deberent Dominos, cum I. Cor. VIII. 6. pronunciet Apostolus; Nobis unus est Dominus, Christus Jesus. Errasset quoque Johannes Baptista, permittendo à suis se discipulis vocari Rabbi, Johan. III. 26. Perperam etiam fecisset Paulus Apostolus, διδάσκαλον ἐθνῶν, Pastorem gentium se nominando I. Tim. II. 7. & 2. Tim. I. 11. Confer I. Cor. IV. 15. Quin ipse Christus sibi esset contrarius, qui docentium in Ecclesia Ordines à se constitutos certis titulis distinxit, & inter illos aliquos Ecclesiae Doctores dedit, Eph. IV. 11. I. Cor. XII. 28. Et minus rectè Spiritus S. Ecclesiae ministros vocasset Doctores, Actor. XIII. 1. Hebr. V. 12. & jam dictis locis, Ephes. IV. 11. I. Cor. XII. 28. Quae cuncta absurditate non carent. Hieronymus in cap. XXIII. Matth. Queritur, inquit, quare adversum hoc preceptum (scilicet Christi,) Doctorem Gentium Apostolus se esse dixerit, aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palestina & Aegypti Monasteriis se invicem Patres vocent? Quod sic solvitur; Aliud esse naturam Patrem, vel Magistrum, aliud indulgentiam. Nos si hominem patrem vocamus, honorem aetati deferimus, non autorem nostrae ostendimus vitae. Magister quoque dicitur ex consortio veri Magistri. Et ne infinita replicem, quomodo

unus per naturam Deus & unus filius non præjudicat cæteris, ne per ad-
optionem DEI vocentur & Filii, ita & unus pater & magister non præju-
dicat aliis, ut abusive appellentur Patres & Magistri.

Alii proinde arbitrantur, cum verbum activum non semper actum,
sed sæpè etiam votum aut desiderium actus designet, ut docent Philo-
logi, loco allegato τὸ κληθῆτε non actum sed amorem & complacen-
tiam actus notare, atq; ita non damnari prædictos titulos *absolutè* sed
secundum quid, quatenus scil. ex ambitione appetuntur, h. e. non nomen
ipsum Magistri vel Doctoris prohiberi, sed ambitiosam illius honoris
affectationem & fastum eorum, qui supra modum eo delectantur, ut
sensus verborum Christi sit; Vos autem, o mei discipuli, qui in meâ
Scholâ hæctenus instituti, qui perfectum humilitatis exemplum in me
quotidiè estis intuiti, Matth. XI. 28. qui totius Orbis Doctores brevè
estis futuri, Matth. XXVIII. 19. μὴ κληθῆτε, h. e. ne optetis, desideretis
vel affectetis vocari Rabbi, uti ex antithesi v. 6. 7. & 8. apparet; Vide B.
Glasium Philol. S. lib. III. Tract. III. de Verbo can. VII. Quando itaq;
Dominus JESUS Phariseorum notaverat superbiam & ambitiosorum
titulorum cupiditatem, utpote qui *amabant vocari ab hominibus, Rab-
bi, Rabbi*, & mirè sibi hoc nomine placebant, v. 6. & 7. discipulos ad
veram invitavit & traducit humilitatem & modestiam, prohibetq; vocari
Rabbi, (ὁ λέγει αὐτὸν ἐβουλόμην διδάσκαλε, inquit Johannes Evang.
cum duo discipuli Johannis Baptistæ alloquentes Christum, dicerent
ῥαββί, Joh. I. 38.) non honorem, non gradum, non officium, sed af-
fectum, animiq; insolentiam ac arrogantiam comprimens. Theophy-
lactus in h. l. inquit emphaticè; *Non prohibet hic Christus quæpiã vocari
Magistrum, sed τὸ ἐμπαθῶς θέλει καλεῖσθαι, tantâ affectione velle vocari
& omnibus modis curare, ut ita vocetur.* Sic Tossanus Comm. in h. l.
pag. 314. *Quod dicitur v. 8. & 10. Nolite vocari Magistri, non simplici-
ter sed comparatè est intelligendum; Hic reprehenditur non ordo Magistro-
rum & Doctorum in Ecclesiâ, sed affectatio titulorum & ambitio, ut est v. 12.*

Sed nec hoc quidam satisfacere putant quærenti; quo consilio
Christus discipulis suis interdixerit, ne Rabbi vocentur, & quidem hæc
usus ratione, *unus enim est Magister vester Christus*, si responderis, non
damnari titulum aut nomen, sed tantum fastum eorum, qui supra mo-
dum titulo illo delectantur, seqve efferunt, cum Oratio Christi simplex
sit, μὴ κληθῆτε ῥαββί, *ne vocemini*, sive ut habet vulgata, *nolite vocari
Rabbi.* Μηδὲ κληθῆτε καθηγηταί, *nec vocemini Magistri.* Existimant itaq;
207

non de quolibet Magisterio, aut qualibet auctoritate, sed de absoluto docendi Magisterio, & quidvis ex arbitrio in rebus fidei præter Scripturam decernendi potestate, sive de summâ & authenticâ auctoritate, unde nemini liceat provocare, & in quâ omnes oporteat acquiescere, ibi sermonem esse. Adeoque prohibitione nominis Rabbi aut Doctoris nominari, ne velimus, pro absolutis Magistris haberi, quibus simpliciter & citra omnem inquisitionem atque exceptionem assensus sit præbendus. Scribæ enim & Pharisei eam sibi arrogabant auctoritatem, ut citra dijudicationem in rebus fidei, quicquid docerent, amplectendum, credendumve esse vellent, & qui eos sectabantur, ab eorum nutu & dictamine pendebant in solidum, non secus ac si vel ipsius DEI ore prolatum esset, quod edicebant. Juxta hanc sententiam dicere vult ὁ μεσίτης noster; Nolite vocari Doctores vel Magistri scil. ita simpliciter & absq. exceptione superioris. Vel nolite vocari Magister vel Doctor, tanquam primarius & unus ille, qui κρείων talis est, naturâ non indulgentiâ, juxta Hieronymum loc. alleg. Ita Augustinus in Psal. 77. citante Pelarg. Com. in Matth. pag. 231. Non ideo hoc dictum, ut vocabulum honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur, sed ne gratia DEI, quâ in æternam vitam regeneramur, nostræ vel potestati vel sanctitati cujusdam hominis tribueretur. Et Anselmus Enarrat. in Matth. cap. XXIII. fol. 95. Edit. Colon. Vos autem nolite vocari &c. Quasi dicat, inquit: Pharisei & Scribae sunt amatores hujus secularis gloriæ, sed vos discipuli mei, qui moribus & vitâ digniores esse debetis, nolite vocari Rabbi, id est, quod DEO debetis, vobis non presumatis. Unus est enim Magister vester, qui illuminat hominem intellectum dando. Homo autem non docet intellectum conferendo. Rectè B. Hunnius Com. in h. l. Tom. III. Oper. pag. 510. Hoc magisterium prohibet in Ecclesiâ Salvator, si quis pro suo libitu decernat in rebus fidei, & cerebri sui commenta pro decreto Spiritus S. venditet & obtrudat aliis & dominari ac præscribere in negotio Religionis aliorum conscientis conetur; sicut tum temporis faciebant Pharisei & hodiè Romanus Pontifex. Confirmatur hæc expositio ex subjectâ ratione; εἰς γὰρ Ἰησοῦν ὑμῶν ὁ καὶ Ἰησοῦς (Beza in duobus Codicibus legit διδάσκαλος) ὁ κρείων. Unus enim Magister vester, scil. summus & authenticus, Christus est. Magnus ille Propheta, in cujus ore posuit Deus verba sua, Deuter. XVIII. v. 18. qui Evangelium ex sinu Patris cœlestis protulit, nobisque enarravit, Joh. I. 18. qui solus audiendus nobis voce cœlitus delatâ commendatus est, Matth. XVII. 5. qui docet ὡς ἐξουσίαν ἔχων, Matth. VII. 29. Qui solus

*non didicit, quod omnes doceret, ut inquit Ambrosius de Offic. lib. I. c. 1.
 Unde & in Historiâ Evangelicâ passim ἐροῦντες διδάσκοντες appellatur,
 cui quoque in docendi officio omnis fructus adscribendus, I. Cor. III. 5. 6.
 Rectè Hilarius Pictavorum Episcopus Com. in Matth. h. l. pag. m. 416.
 inquit; Discipulis jam se scientibus totius humilitatis præcepta consummat,
 ut meminerint, omnes fratres esse, i. e. filios parentis unius & per novæ
 nativitatis generationem terreni ortus excessisse primordia & unum sibi esse
 omnibus doctrinæ cælestis magistrum. Et Thomas in h. l. Ille propriè dicitur
 Magister, qui doctrinam habet à se, & sic solus Deus est Magister. Solus ergò
 Deus vel Christus propriè est Magister, quia is solus est primarius & princi-
 palis, qui scilicet omnia novit, à nullo alio edoctus, quique omnes docet, quod
 sciunt, ut ejus comparatione omnes alii discipuli sint, non magistri,
 qui denique solus verè docet doctrinam intus efficiendo, ut inquit Cornelius
 Jansenius Comment. in Concord. Evangel. cap. CXX. pag. 821. Huc per-
 tinent verba B. Chemnitii in Exam. Concil. Trident. part. II. de Baptif.
 ad Can. V. pag. 236. Magisterium fidei nemini debetur, nisi uni Christo; Ad
 ipsos enim Apostolos dictum est, Matth. 23. Vos nolite vocari Rabbi,
 unus, &c.*

Nonnulli denique utrumque hæc enarratum sensum conjun-
 gunt, ut Maldonatus Comment. in IV. Evangel. in h. l. pag. 480. & Cor-
 nel. Jansenius loc. alleg. B. Gerhardus in Harmoniâ Evangel. cap. CLVIII.
 pag. 559. cujus verba hæc sunt; Ostendit contextus, Christum hîc non tam
 factum, quam animum respicere, nec absolutè sed comparatè & relatè
 hujus appellationis desiderium prohibere, videlicet comparatione factâ tum ad
 DEUM, tum ad Scribas & Phariseos. Ad Deum quidem, ne honorem soli
 Deo debitum ad nos transferri patiamur, vel nobis arrogemus, i. e. ne ab-
 solutam quidvis docendi potestatem nobis arrogemus & simpliciter sine ex-
 ceptione fidem nobis haberi postulemus. Ad Scribas autem & Phariseos,
 ne eodem animo, & affectu desideremus vocari Rabbi, quo illi hunc honoris
 titulum ex ambitione affectabant, ne illorum superbiam & honoris cupi-
 ditatem amulemur. Nicol. Arnoldus Theol. Franeker. in libro cujus
 frons est, Lux in tenebris ad h. l. pag. 93. inquit, Christus tantum prohibet
 arrogantiam & vanam istius tituli affectationem, atque jactantiam Docto-
 ratus autoritativi & dictatorii. Is solius Christi est. Tale Magisterium
 soli Christo competit. Hoc à nemine vult affectatum, hoc Jacobus nemini
 vult delatum. Johannes Bugenhagius Pomeran. in explicatione quæ-
 stionis; num liceat Theologo petere titulum, gradum & insignia Docto-
 rali a,

ralia, postquam Christus dixit, *Nolite vocari Rabbi, &c.* quæ habetur Tom. III. declamat. Melanthon, pag. 17. docet *Prohiberi Seclas & novos Magistros, non nomen Officii & Ministerii in Ecclesia; prohiberi, ne quid vocetur Rabbi, Magister, Doctor extra Christum, introducendis novis, perversis & impiis doctrinis, non autem, ut quis appelletur Magister aut Doctor in Christo.* Quam explicationem sequitur D. Franzius de Interpretat. Scriptur. Orac. 85.

Cum itaq; ex hæctenus dictis manifestum sit, Salvatorem nostrum non privare titulo, quibus munus docendi injungit, nec vetare Doctores vel Magistros appellare, qui Verbo DEI Ecclesiam pascunt, regunt; propagant, atq; eruditionis & industriæ suæ in Academiis benè constitutis & privilegiatis testimonia publica juxta leges & statuta consequuti sunt, tantum abest, ut culpandi sint, qui vel aliis Privilegia & insignia Doctoralia conferunt, vel eadem ipsi legitimè assumunt, ut potius ad capeffenda illa digni, vel qui *cum onere metiuntur vires suas*, (ut loquitur Pontif. *in c. non est putanda*, r. q. 1.) invitandi, & qui decenter ad eadem adspirant, omni modo juvandi sint. Cum ejusmodi honores & gradus nihil aliud sint, quam eruditionis, virtutis & *καρότη* ad docendum, variis speciminibus publicè, privatimq; probatæ luculenta testimonia & debita præmia, jurium ac Privilegiorum ab Imperatoribus gratiosè concessorum Exercitia & improbatæ repudiatæq; confusionis Anabaptisticæ *πινυησα*.


Quod igitur Felix, faustum & salutare Ecclesiæ ac Reipublicæ Christianæ esse velit & jubeat Summum atq; Æternum Numen, sistimus publicè duos præclaros S.S. Theologiæ Licentiatos in Doctores promovendos; *Viros Reverendâ dignitate Clarissimos, spectat à Eruditione Theologicâ Præcellentissimos, à verâ pietate commendatissimos & ab honoratis officiis, quibus in Ecclesiâ Christi, magnâ cum laude & fructu funguntur, admodum conspicuos;*

DN. L. PAULUM HOFMANNUM, Vratislaviensem, Capituli Wurzensis Præpositum, Ecclesiæ Torgaviensis Pastorem, & quæ inibi est Diœceseos Superintendentem.

DN. L. JOHANNEM ACOLUTHUM, Ecclesiæ Vratislaviensis ad S. Elisabetham Pastorem, Consistorii Assessorem, & in Gymnasio SS. Theologiæ Professorem, nec non Evangelicarum Ecclesiarum ac Scholarum ibidem Inspectorem.

Horum

Horum duorum SS. Theologiae Licentiariorum (eo ordine, quo nomina
 sua apud Collegium nostrum sunt professi, collocatorum,) **Doctorem**
 dignitatem atq; honorem, eâ quâ par est submissione, ambientium pie-
 tissimum ac laudatissimum conatum, uti haecenus prolixo affectu pro-
 secutum est Collegium nostrum Theologicum, ita eosdem ob singula-
 res dotes & publica in Ecclesiam merita Summis in Theologiae Honori-
 bus, Privilegiis & insignibus Doctoreis *Die Martis proximo*, qui est **IX.**
Junii & in Fastis nomine *Medardi* insignitur, in templo ad arcem, (quod
 Rudolphus I. Dux Saxoniae extruxit, & omnibus Sanctis, ut tum religio
 fuit, consecravit A. 1353.) Deo clementer annuente, condecorabit, Rectore
 Magnifico, *Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo, DN. WER-*
NERO THEODORO MARTINI, *Soltqvellâ Marchico, JCTO,*
Et Pandectar. Professore Publico celeberrimo, Serenissimi Electoris
Saxoniae Consiliario, Curia Electoralis, Scabinatus, Consistorii Eccle-
siaestici Et Facultatis Juridicae, nec non Judicii Provincialis, quod in
Lusatia Inferiori est, Assessore gravissimo, DN. Affine, Collega Et
Compatrie honoratissimo, Promotore verò Viro maxime Reve-
rendo; Amplissimo, Excellentissimo DN. ABRAHAMO CALO-
VIO, *Doctore Theologo Et Professore Publico primario famigeratis-*
simo, Ecclesia Parochialis Pastore, Consistorii Ecclesiaestici Assessore,
Et Circuli Electoralis Superintendente Generali gravissimo, DN. Affine,
Collega, Compatrie Et in Christo Fratere colendissimo; Quam Panegyrico
ut dictae diei horis matutinis Magnificus Dominus Rector, Patroni ac
Proceres, nec non CIVES UNIVERSITATIS nostrae, cum aliis
Lectissimis Hospitibus, Magnificâ, conspicuâ & gratâ suâ praesen-
tiâ exornare, pro salute Ecclesiae, Serenissimi nostri Electoris, to-
tiusque Illustrissimae domus Saxonicae, ut & Reipublicae nostrae
Literariae preces nobiscum ad DEUM fundere, Deminisque Doctoran-
dis de novis Insignibus tacito applausu gratulari dignentur, obser-
vanter, officiosè & peramanter meo, totiusque Collegii Theologici
nomine rogo, reciproca pietatis, honoris & amoris studia sanctè sin-
gulis promittens. P.P. Wittebergae, sub Sigillo Facultatis
Theologicae, in Festo S. S. Trinitatis,
Anno M DC LXIX.



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287




Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

27

ANUS
THEOLOGICI
I UNIVERSITATE
BERGENSI
ANDREAS
STEDT,

PUBL. ET ELECTORA-
RUM EPHORUS;

DN. RECTOREM,
ERES, FAITORES, ut &
SOLENNEM RENUN-
SS. THEOLOGICÆ LICENTIA-
ORIS LOCISQUE CON-
FAVENTE GRATIA
IENDAM,

MITATE INVITAT.

BERGÆ,
Schmaß/Acad. Typogr.

